

nique illud te rogare volui, ut si potes Prochi Hypotyposeon libellum Græcum Basileæ impressum, si qua potes ex Bibliotheca mihi vel coemas vel utendum transmittas, denique uti valeas significes. Plura non sufficit calamus contumax, locusque ineptus meditationi & hospes morosus. Vale <sup>22</sup>/<sub>31</sub> Maij. 1621.

*J. Keplerus Matthiæ Berneggero:*

*S. P. D.*

**C**Larissime vir, Amice charissime. Annus circumagitur, nec dum negotia mea finem habent. Exemplaria libri IV. Epitomes omnino 17. mecum attuli Lincio, quæ distracta sunt. Nunc filia mea Ratisponâ Lincium descendit, ut proferat è suppellectilibus meis exemplaria omnia. Omnino persuasus sum. Gringalletum duo accepisse, ut eorum unum (sine tamen titulo, qui Tubingæ impressus)